

Dissertatio inauguralis medica de cataracta congenita ... / fecit Mauritius Billnitzer.

Contributors

Billnitzer, Mauritius.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Pestini : Typis Josephi Beimel, 1844.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/puc2d7zx>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

19
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
CATARACTA CONGENITA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS AC DIRECTORIS,
SPECTABILIS DOMINI DECANI,

NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM INCLYTAE FACUL-
TATIS MEDICAE

PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA, SUMMISQUE IN MEDICINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUEN-
DIS IN ALMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE HUNGARICA
PUBLICI JURIS FECIT

Mauritius Billnitzer,

HUNGARUS SCEPUSIENSIS.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio R. Scient.
Universitatis majore.

PESTINI,
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

1844.

Kennst du das Bild auf zarten Grunde,
Es gibt sich selber Licht und Glanz.
Ein anders ist's zu jeder Stunde,
Und immer ist es frisch und ganz.
Im engsten Raum ist's ausgeführt,
Der kleinste Rahmen faszt es ein.
Doch alle Grösze, die sich rührt,
Kennst du durch dieses Bild allein.

Und kannst du den Krystall mir nennen,
Ihm gleicht an Werth kein Edelstein,
Er leuchtet, ohne je zu brennen,
Das ganze Weltall saugt er ein.
Der Himmel selbst ist abgemahlet
In seinem wundervollen Ring.
Und doch ist, was er von sich strahlet,
Oft schöner, als was er empfangt.

Schiller.

On doit tendre avec effort a l' infallibilité sans y prétendre.

Malbrauche.

SEINEN
HOCHGEEHRTEN GÖNNERN

DEM
WOHLGEBORNEN HERRN

H. GRÜNZWEIG,

UND

DESSEN HOCHVEREHRTER GATTIN

FRAU

N. GRÜNZWEIG,

WIDMET DIESE BLÄTTER

ALS BEWEIS SEINER HOCHACHTUNG UND ERGEBENHEIT

der Verfasser.

1854

THE

OF

AND

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

ISAGOG E.

Stupore simul ac moerore perfunditur animus observatoris omnis, praecipue vero Medici, dum percipit in Hungaria tot infelicissimos, nobilissimo, utilissimo, aequae ac dulcissimo sensu privari per Cataractam, et quidem, quod horrendum dictu! numerum eorum, nisi superet, parem esse illi, qui in tota Europa recensetur. An non miserrimo fato succumbunt infausti illi, qui non possunt amplius amoene virentes campos, laetas segetes, indefessi ingenii et studii opera, nec non artificia, coelum astrorum numero indefinito et admiranda Majestate fulgens intueri; quibus dies serena nocti opacae aequa est? Qui non valent amicos, cognatos, parentes, proles, conjugem et dulces lares adspicere, atque cognoscere vultu amantissimo, quibusve nitore oculorum evanido, animae vividissimus nec non fidelissimus interpres, princeps, toto vitae decursu perseverans, et pulcherrimus faciei humanae decus deficit?

Tantus est in Hungaria eheu! numerus horum infaustorum, ut ea fere, sat tristi nomine, cataractarum patria per eminentiam appellari possit, imo debeat, si tantum copia illorum in censum vocetur; qui annue ad clinicum ophthalmiatricum R. Scientiarum Universitatis confugiunt, non computatis innumeris iis, qui a Medicis in regno praxim colentibus et a Regio Medico oculari operantur.

His invitatus animum eo admovi, ut pro themate Dissertationis inauguralis verba quaedam facerem de

Cataracta et quidem *congenita*. Licet opus hoc grave pro tyrone Medico omnino est, tamen a generali ad specialem casum transeundo, hisce pagellis pauca de genesi, origine et methodo curationis Cataractae congenitae proferre mihi proposui.

Definitio et Diagnosis Cataractae.

Nomine Cataractae intelligimus obfuscationem systematis lenticularis. Haec Cataractae natura antiquioribus Medicis ignota erat, et quae modo vulgi est opimo, ea priscis temporibus inter medicos viguit; putarunt nempe Cataractam esse membranam, seu pelliculam quandam albam, e congestis retro pupillam humoribus coagulabilibus formatam. Labente autem seculo decimo septimo, pervestigationibus anatomicis et structura oculi magis investigata est, et sedes et indoles huius vitii rectius perspecta est ita, ut nostris temporibus naturam huius obfuscationis nemo medicorum in dubium vocare queat.

Signa diagnostica, quibus consideratis ad praesentiam huius vitii concludere fas est, maxime generalia dantur sequentia, nempe; obscuratio proxime retro iridem sita, in margine pupillari circulum nigricantem offerens, qui ab umbra retinae in lentem luci inperviam derivandus et cum margine pupillari brunescenti nequaquam est commutandus, oculum tamen uberius investigando per instillationem narcoticorum, pupillam nonnunquam aequaliter dilatata, et margines obfuscationis, praesertim si obfuscatio non est eximiae magnitudinis et corpus vitreum normale distinguere licet; subinde apparet pupila angulosa, in quo casu ad concretionem iridis cum capsula lentis aut corpore ciliari concludere fas est. Praeter haec symptomata objectiva dantur et subjectiva in sensatione seu facultate lucem percipiendi fundata, aeger enim Cataracta etsi matura

affectus sub luce intensa, sensationem lucis persentit ob pupillam per iridis contractionem dilatatam, vel vero ob lentem etsi obfuscata radiis lucis intensis transitum concedentem. Quum haec symptomata etsi subjectiva nos de statu reliquarum partium oculi, imprimis de statu sano retinae, nervique optici edocent, medicoque oculari indicant, ubi et in quo casu restitutio facultatis visus possibilis sit, hinc sponte dignitas horum patet.

Divisio Cataractae.

Praeter haec symptomata cataractae recensita, diversa alia quoque observantur pro diversitate partis systematis lenticularis obfuscae, et pro diversitate varietatis Cataractae. Ad cognoscendas has divisionem Cataractae respectibus sequentibus hic adducere non abs re erit:

I. Respectu partium systematis lenticularis obfuscatarum Cataracta omnis est vel *partialis*, vel *mixta*, vel *totalis*.

A) *Partialis* illa vocatur, ubi unica tantum pars systematis lenticularis obfusca est, in genere triplex esse potest, et quidem:

1-o *Cataracta lenticularis*, ut nomen indicat, constat in obfuscatione ipsius lentis crystallinae. Haec Cataracta paulatim evolvitur, visumque successive adimit. Incipit cum hebetudine visus. In oculo accuratius inspecto retro pupillam obfuscatio centrum praecipue occupans, coloris flavo-grisei, margines versus diluti, sine maculis nubosis animadvertitur. Quo magis haec obscuratio increscit, eo magis visus ademptus est; semper tamen visio objectorum etsi minime clara et distincta adest, praecipue objectorum ad latera collocatorum, idque eo magis, quo major pupilla per contractionem fortiolem iridis reddita est, superest itaque visio lateralis. Ab uvea haec Cataracta distat, motus iridis neutiquam impeditus, in margine pupillae tamen, si

iridis color est lucidior, niger quidam circulus distinguitur ab margine pupillari in lentem obfuscata umbram efformantem derivandus.

2-o *Cataracta Morgagniana, interstitialis* seu *lactea* est liquidum vaporosum inter lentem et capsulam intercedens condensatum et obscuratum. Celerem haec habet evolutionem et colorem albo-coerulescentem, lacti similem, visumque nunquam penitus tollit, obscurationis pars superior magis diluta conspicitur, inferior vero sedimentum spissius, magis saturatum, maculosum refert. Dum oculus digito demulcetur, color obscurationis aequabilis fit.

3-o *Cataracta membranacea s. capsularis* est obfuscatio capsulae lentis crystallinae. Sola brevi tempore tantum persistit, morbosa enim capsula alienatur quoque secretio humoris Morgagni et ipsius lentis nutritio. Haec *Cataracta capsularis*, vel *anterior* vel *posterior* lentis capsulam infestat, atque hoc respectu duplex est, nempe:

a) *Cataracta capsularis anterior*, haec exhibet maculas aut strias lucide griseas, margaritae instar nitentes, frequentius in margine, quam centro obvias cum obscuratione capsulae conjuncta est incrassatio quoque illius, hinc camera oculi posterior sublata, obscuratio uveae vicina et motus iridis impeditus conspicitur. Objectorum perceptio imperfecta tamen adest.

b) *Cataracta capsularis posterior*, haec maculas quidem, sed minoris exhibet nitoris, obscuratio a pupilla remota et concava apparet, motus iridis superest, visumque perfecte non tollit.

Nonnunquam hae ambae species cataractae simul junctae occurrunt, ad cuius praesentiam ex mobilitate iridis penitus sublata, et visu ad lucis perceptionem restricto concludere licet.

B.) *Mixta* illa nominatur, ubi plures, non tamen omnes partes systematis lenticularis obfuscae sunt. Species huius cataractae sunt:

1-o *Cataracta capsulo-morgagniana*, raro occurrens et brevissimo tantum tempore absque lentis obscuratione persistens, conjuncta capsularis et Morgagnianae signa offert.

2-o *Cataracta capsulo-lenticularis*. De hac idem valet, quod de priori dictum est. Ob variam formam et habitum, quem offert, plures huius cataractae species notantur. Hic nomina tantum adduxisse sufficiet, et quidem quoad diversitatem formae obscurationis cataracta haec est: Marmoracea; — maculosa; — stellata; — centralis; — dimidiata; — arboracea; — spectato vero habitu proprio est: cataracta cum bursa mucosa; — cataracta trabecularis; — pyramidalis; — arida, siliquata et cystica.

3-o *Cataracta Morgagniano-lenticularis*, haec obscurationem griseo-coerulescentem in parte inferiore flavescentem offert. Humor hic Morgagni obscuratus superius, lens autem opaca, specificè gravior, infrius sita est. Oculo digiti ope demulso color aequabilis, solusque griseo-coerulescens conspicitur. Cataracta haec uveae vicina est, motum iridis lentiores reddit, visumque ad solam lucis perceptionem restringit.

C) *Cataracta totalis* dicitur ea, in qua omnes partes systematis lenticularis obscuratae sunt, unica huius tantum datur species, nempe:

Cataracta capsulo-Morgagniano-lenticularis; haec semper magnum exhibet volumen ita, ut non tantum iridi incumbat, eiusque motum penitus tollat, verum illam nonnunquam ita antrorsum urgeat, ut facies illius anterior convexa, cameraque anterior imminuta conspiciatur. Colorem diversum exhibet, visumque ita adimit, ut nec lucis quidem perceptio in omnibus aegris vivida adsit.

II. *Respectu consistentiae* triplex in genere notatur cataracta:

1-o *Cataracta mollis*, quae colore lucide griseo, aequabili, situ iridi proximo, huiusque motu inert,

visu penitus adempto, ad lucis perceptionem tantum restricto facile dignoscitur. Talis cataracta raro, et solum in individuís junioribus occurrit.

2-o *Cataracta molli-dura s. scabrosa*. Haec hominibus aetatis mediae, potissimum propria, per colorem griseum, in medio flavescentem, — per strias radiatim in ipsa obscuracione e centro peripheriam versus excurrentes, — per visum ad lucis perceptionem restrictum facile cognoscitur.

3-o *Cataracta fluida*. — In hac cataractae specie tota lens in liquidum vel *lactescens*, vel *purifirme* commutata est. Priori in casu in infantibus potissimum obvia colorem lucide album, nubosum habet; in posteriore vero individuís cachecticis propria, colorem flavum puri similem offert. Praeterea fluida cataracta uveae semper accumbit, iridis motum impedit et visum ad lucis perceptionem restringit.

III. *Respectu coloris* cataracta est *grisea; alba; perlata; lutea*. Memoratu digna tamen est, *cataracta nigra*, quae saepe saepius cum Amaurosi confunditur ob immobilitatem iridis, a qua tamen differt, quod visum penitus non tollat, et obscuratio praesertim pupilla artificialiter dilatata ex fusco nigricans immediate retro pupillam conspiciatur.

IV. *Respectu magnitudinis* cataracta magna et parva distinguitur. Magnitudo haec cum consistentia et numero partium obfuscatarum est in certa proportione, et quidem, quo maior consistentia, eo minor cataracta. — Ast dantur ab hac regula exceptiones; ita nonnunquam cataracta dura est ingentis magnitudinis et vicissim, sic cataracta arrida siliquata semper est exiguae magnitudinis, dependet haec diversitas a peculiari et individuali lentis crystallinae densitate.

V. *Ratione evolutionis gradus* cataracta in *maturam* et *immaturam* dividitur. — *Matura* appellatur cataracta, si obscuratio maiorem intensitatem et extensionem consequi amplius nequeat, sive pupillam penitus repleat,

visumque perfecte tollat, sive non. — *Immatura* autem ea dicitur, quae in evolutione adhuc detinetur, et quae eum, cuius capax est, obfuscationis gradum nondum assecuta est. —

VI. Ratione complicationis cataracta est vel *simplex*, vel *complicata*. *Simplex* dici meretur, quae sola existens cum nullo alio vitio conjuncta incedit; *complicata* autem, quae cum alio aliquo sive oculi, sive reliqui organismi morbo in connubio occurrit; adeoque complicatio aut topica, aut universalis esse potest. Respectu *nexus causalis* hae complicationis vel *essentiales*, vel *accidentales* esse possunt; *priores* in nexu in causali cum cataracta constituti curam illius modificant; *posteriores* in nulla correlatione cum cataracta sunt. Ad *essentiales* complicationes pertinent:

1-o *Morbi oculares diversi* et quidem: obscurationes corneae, synechia anterior, hydrophthalmus, atrophia bulbi, et praecipue cirsophthalmia, concretio cataractae cum uvea, aut membrana hyaloidea, glaucoma, synhisis, amaurosis et ophthalmiae diversae.

2-o *Universales* inter quos praecipue commemorari merentur scrophutae, arthritis, syphilis, ulcera inveterata, psora, aliaeque impetigines.

VII. Originem cataractae considerantes dividimus hanc in *congenitam*, quae cum ipsis hominibus nascitur; et *aequisitam*, quae post nativitatem per varias causas adducitur. — Acquisita iterum vel *subita* vel *lenta* esse potest; illa causis manifestis concitatur; haec verò paulatim ex causis saepius occultis et ignotis oritur.

Hocce respectu cataractam quoque dividere solemus in *primariam* et *secundariam*; prior illa dicitur, quae nunquam adhuc operatione tentata et amota fuit; posterior autem, quae post operationem residua, visumque de novo impediens aut adimens dicitur.

De cataracta congenita.

Quod signa diagnostica cataractam indicantia attinet, jam in praecedentibus exposui; quod vero speciem cataractae attinet, haec cataracta praeprimis arida, siliquata et centralis est. —

Quum vero alii quoque morbi aut soli in oculo occurrentes, aut cum cataracta complicati diagnosim modificant et difficiliorem reddunt; hinc hic differentiae adducendae sunt, quibus cataracta congenita ab artresia pupillae, glaucomate et amaurosi differt. —

1. *Artresia pupillae*, cuius nomine obliterationem pupillae, cum lucis impermeabilitate conjunctam, intelligimus, raro, imo rarissime, qua talis congenita esse solet; possibile tamen est, quod membrana pupillaris post partum superstes, in oculo neonati observetur, et pupillae concretio apparet, quae tamen successu temporis per processum physiologicum resorbetur et pupillae lumen restituitur. Licet se ita res habeat, interest tamen scire, quibus momentis talis artresia a cataracta differt. — Videmus tunc semper iridis colorem normalem mutatum, in regione vero pupillae membranam hiatum pupillarem perfecte explentem coloris diversi, cameram posteriorem oculi, nec marginem pupillarem iridis liberum intueri licitum est; lucis tamen perceptio adest. — Reliquas species artresiae pupillae, quae in sequelam ophthalmiarum praegressarum semper oriuntur, uti sunt: concretio pupillae mediata, immediata et artresia cum licentia dicta, hic recensere non esse loci puto.

2-o *Glaucoma*, cuius nomine obfuscationem humoris vitrei et membranae hyalodiae intelligimus, facile dignoscitur visu penitus sublato, pupilla dilatata et utrumque canthum versus diducta, per normalem bulbi elasticitatem in duritiem fere lapideam mutatam, in nonnullis casibus etiam per vasorum varicositatem.

Si vero cum glaucomate simul cataracta occurrat, tunc obscuratio virescens proxime retro iridem conspicitur, imo lens obscurata, cum simul tumida sit, interdum in pupillam dilatatam procumbit.

3-o *Amaurosis seu gutta serena*, quae coecitatem, aut insignem visionis imbecillitatem, ab affectione retinae et nervi optici proveniente offert, nunquam subito oritur, nec congenitum malum observatur esse, atque cum ex decursu et causis tam disponentibus, quam excitantibus, quibus originem debet, facile cognosci possit, hic silentio transire, et ad uberiores scrutationem lectori auctores ophthalmologicos commendare audeo, cum in istis pagellis tantum de vitiis oculi congenitis, imprimis cataracta agere mihi proposui. —

Aetiologia.

Genesis cataractae congenitae densis obturatur tenebris; vita enim foetus in utero materno, eius evolutio et perfectio nos latet, et omnia mala, quae qualicumque modo in vita uterina foetus producuntur, sub nomine vitii primae formationis comprehendunt Medici. Licet autem res ita se habeat, ego tamen etsi juvenis Medicus, quaedam hic adumbrare proposui, dum mihi saepe saepius occasio erat aut talia vitia conspiciendi, aut morbos ex dispositione ortos observandi, ideoque hic a generali ad specialem concludendo, quaedam de cataracta congenita verba faciam. —

Aetas foetalis a conceptionis momento ad partum usque extensa in homine 10 mensibus lunaribus absolvitur. Inter breve hoc tempus tam copiosae contingunt evolutiones, quantae numero deinceps nusquam. Materia informis, in omnes tamen formas assumendas prona, albumine nempe per matrem et ex matre secreto, et ex ovariis sub conceptione delato, per in-

fluxum factoris virilis vivificato, formari incipit; sub tutela involucrorum ceterorum, quae perispermio vegetabilium respondent, in nexum cum materno corpore positorum, unde omnis eius vita incitatur non secus ac vita telluris per influxum solis, utero vices telluris subeunte, in quo foetus non secus ac planta firmis radicatur radicibus, vasis nempe in placenta distributis. Mutata vitali a factore virili, materia informis, partim spontaneitate sua, partim per influxum organismi foeminei, materiam plasticam adducentis, et exortam jam in germine vim vitalem per influxum suum sustentatis, ad processum formativum naturae convenientem determinatur. — Foetus initio mere vegetans est. — Vita enim eius sola digestionem, quae in absorptione materiae plasticae per cutim et immutatione eius in vasis lymphaticis, tamquam totidem intestinis, respiratione item, et qui ambas functiones, quarum una polo positivo, altera negativo columnae Voltinae respondet, conjungit, circuitu sanguinis constat; animalitatis manifestationibus, quo motus et sensus pertinent, ad quintum usque mensem, ubi primum agitationes foetus, ut motus penduli apparentes, iam arcus describentes observantur, profundo somno obrutis. Quo propius foetus ad finem aetatis foetalis tendit, eo plura et magis perfecta organa acquirendo, alia autem, ut vesiculam umbilicalem, membranam pupillarem amittendo, ruptis tandem repagulis spontaneitati suae committendus, atque nunc, qui prius inferiorem massam constituit, rite plasmatus pro ulteriori evolutione sua novam incipit vitam, ut seges e terrae visceribus germinans per influxus naturae externae, ut omnium viventium, considerandus.

Ex his itaque apparet, vitam foetus mere formativam seu vegetativam esse, et in multiplici commercio cum organismo materno, qui pro foetu id, quod pro adulto natura externa est, existere, vitaeque animali maxime recedente, hinc apparet, morbos conge-

nitos in genere tantum organicos et tales esse posse, quo in alienata nutritione quoad quantitatem et qualitatem consistunt. Possem hic plura adducere, sed sufficiant pauca ex experientia desumta: sic oriuntur per desorganisationem totalem ovi humani Molae, sic quoque monstra et deformitates diversae; observantur nonnunquam partium diversarum deficientia, in aliis casibus concretio partium solito separatarum, in aliis denique partes statu normali conjunctae separatae existunt; sic observamus defectum unius alterius oculi, aut utriusque; imo nonnunquam numerum oculorum adauctum; in raris casibus quoque locum pro oculo destinatum alienatum, sic celeberrimus *Schenk* in suis observationibus Lib. I. narrat se vidisse casum, ubi oculi in foemore aderant. De defectu oculorum cel. *Ad. Schmid* adfert unum casum maxime memorabilem (in *Ophthalmolog. Bibliothek* v. Himly et Schmid III. Band, 1-tes Hest 170) ubi dicit: se vidisse neonatum, in quo in orbita praesenti nullum vestigium bulbi ocularis observare, invenireque poterat, postquam vero hic post sex septimanas obierat, et in cadavere sectio institueretur, non tantum totius bulbi, verum etiam diversarum partium defectus innotuit, nam nec nervus opticus, nec arteria ophthalmica deprehendebatur, imo foramen opticum oblitteratum cernebatur. Sunt denique etiam auctores, qui loquuntur de defectu diversarum partium oculi; sic celeb. *Morison* angulus loquitur de absentia iridis in infante, quem tamen defectum cel. *Wehler* pro Midriasi in statu maximae evolutionis habet. Videmus itaque defectum totius bulbi oculi et aliarum partium tamquam vitium primae formationis occurrere et potissimum in eo causam habere, quod processus formativus in foetu per diversas nobis ignotas causas in sua formatione turbetur, ideoque organa tantum vel rudimentarie efformantur, vel nec formationis processus ad organon aliquid formandum concurrit. — Ast processus forma-

tivus in graviditate non tantum quantitate, verum et qualitate aberrare potest, quo fit, ut per chemismum diversarum partium mutatum, organa diversa formari possunt, quae scopo suo non respondent, et vitia quoque primae formationis aut congenita constituunt. Sic observamus in leucophlegmaticis aquam amnios quantitate peccare et 3 — 12 unc. efficere, ex quo hydrops ovi et ipsum foetum extendendus oritur, cum in aqua hac, partim ob penuriam materiae nutrientis in corpore materno, ob atoniam uteri, e sanguine formali, mere aquosas partes secernentis, materiae plasticae desunt, nutritioni foetus impendendae; sic quoque oriuntur monstra diversa et molae diversae. Verum et diversae mutationes oculorum partium per chemismum alienatum occurrunt, sic *Morgagni* de sedibus et causis morborum plures adducit casus; *Monard* (*in Memoir de l'Academia R. des sciences 1730*) quoque narrat de vitiis oculorum congenitis diversis; *Scarpa* vero et oculum descripsit, imo et delineavit, in quo tanta erat desorganisatio, ut in massam calcaream conversus cerneretur. *Pellier* lentes ossificatas, *Walther* corneas describunt. — Sufficiant haec, uberiori tamen scrutationi, praeter auctores adductos Lectori benevolo adhuc sequentes commendarem: *Quengsy*, *Janin*, *Haller*, *Zin*, *Wandrop*, qui diversa vitia oculorum congenita et acquisita, ab illis observata describunt.

Ex omnibus apparet, quod sicuti desorganisatio diversarum partium, ita et oculi, imprimis cataracta qua vitium primae formationis apparare potest, et radicatur semper in vita vegetativa, quam foetus solum in utero materno degit, alienata atque proinde chemismo diversarum partium et illius lentis mutato.

Prognosis.

Haec in genere incerta est; palmarium enim salutis praesidium ab administratione chirurgica peten-

dum est, cuius, exitus adeo quandoque prolatum eludit praesagium, ut Cataracta quae vel optimae et maximae spei visa, providissimae tracta fuerat, in deterius et funestissimum malum abit, e contra vero desperata passim praeter spem vanata fuerit. Dependet itaque prognosis:

1-o Ab ipso aegro, an nempe sub operatione oculum quietum sit exhibiturus, an in aegro, ob individualem vulnerabilitatis gradum, antea minime determinandum, reactio iusta sequetur vel non; an in aegro morbi aliqui latentes adsint vel non, qui peracta operatione gravissimas oculorum mutationes abnormes adducere queant?

2-o A conformatione oculi et ipsius cataractae; an nempe in oculo nulli alii morbi adsint? An cataracta cum vicinis partibus sit concreta, an tandem consistentiae sit mollis vel durioris?

Exinde apparet in cataracta simplici, ex causis notis, per capsulitidem orta, cum nullo morbo oculari, et universi organismi complicata, bonam prognosim pronunciare Medico conceditur.

Therapia.

Quod curationem cataractae attinet, haec ita perfici non potest, ut pristina partium systematis lenticularis restituatur pelluciditas; fuerant quidem Medici, qui id remediis diversissimis tentarunt, absque tam effectu exoptato, nihil itaque restat ad visum restituendum, quam operationem suscipere et perficere. Haec non tantum de cataracta acquisita, verum et congenita valet, ipseque habui fortunam sex casus cataractae operatae in individuis ex una familia progenitis optimo cum successu institutae, observandi apud cel. et mihi colendissimum Dominum *Dnm Grosz Magno-Varadini*.

Cataractae itaque operatio indicatur in omni cataracta sive congenita, sive acquisita, cuiuscunque varietatis aut formae.

Contraindicatur:

1-o Si cataracta est in nexu causali cum morbo sive universi organismi sive oculari sanabili pro tempore, donec hi morbi sopiti sunt, ut: syphilis, impetigines diversae, ophthalmiae diversae.

2-o Si cataracta complicatur cum morbo oculari insanabili, athrophia bulbi, Amaurosi. —

Scopus operationis cataractae is est, ut obscuratio in camera posteriori sita removeatur, sublatoque impedimento, intercepta ad retinam via lucis radiis restituatur. Triplici ratione hunc scopum consequi valemus et quidem.

1-o Cataractam penitus ex oculo eximendo, vocamus hanc methodum *extractionem* quam in usum induxit primus *Jacobus Daviel* Anno 1745.

2-o Cataractae talem in oculo situm assignadon ut visionem amplius impedire nequeat; vocamus methodum hanc *depressionem*, estque antiquissima jam a *Celsio* descripta. —

3-o Cataractam frustatim conscindendo et resorptionis processui committendo quam methodum *Buchhorn* detexit, eamque nomine *Keratonyridis* anno 1810. publici juris fecit. —

Quaelibet harum methodorum varias agnoscit modificationes, quas recensere una cum diversis difficultatibus, atque emolumentis, unius, alteriusque methodi non est scopus huius libelli, ideoque Lectori benevolo hoc fine diversos Auctores ophthalmologicos commendo. —

Theses.

1. Extractio Cataractae ad rarissimos est restringenda casus.
 2. Obscuracionum corneae Diagnosıs, quinque innitur momentis: colori scilicet, opacitatis gradui, extensioni, superficiali et marginibus.
 3. Quaevis Artresia pupillae, ophthalmiae praegressae originem debet.
 4. Ex oculo occulta organismi diatheses facillime innotescunt.
 5. Ut oculi valeant ita et homo. *Stoll.*
 6. Ophthalmiae specificae, phlegmonosis periculosiores sunt.
 7. Miotonia ocularis — non solum venustati consulens, sed et catervae affectionum oculo ex strabismo minantium remedium praeservativum securum, unicum — magnopere commendanda.
 8. Visus auditu nobilior.
 9. Libri Medici in usum profanorum scripti plus nocent, quam prosunt.
 10. Formula faraginem remediorum continens, infirmitatem diagnoseos arguit, ac saepius nocet.
 11. Operationum chirurgicarum exitus non tantum operanti verum etiam, ac praecipue individuae aegroti constitutioni adscribendus.
 12. Cortex radice punice granati remedium contra Taeniam efficacissimum.
 13. Refrigerium uberrimus fons morborum.
 14. Dantur morbi, quos non licet sanare absque damno aegri.
-

